

petunt. Nam quomodo humilem confessionem contemneret
humilitatis Magister? Et cui humilibus dare gratiam certe
ingenitum est, omnino non potest non placari, si, quae in ore
sonuit, in corde radiat humilitas, ut Bernardi haec verba,
paululum à nobis immutata huc apponamus ex *Serm. XVI.*
in Cantic. Vide *Cornelium à Lapide in Comment. ad 1. Sam.*
XV. p. 298. seq.

§. XII. En itaque Saulis lapsum tristissimum, quem sua
sibi culpa ipsemet attraxit! totus tunc immutatus totus ali-
us factus fuit. Qui antea Spiritus S. erat Templum, Dia-
boli jam est domicilium. Fuerat ille hospes gratiosissimus,
qui Saulem ad varias virtutes sanctasque operationes iden-
tidem excitavit, hic non otiosus quidem aut somnolentus
latuit, eum quippe similiter excitans, verum non nisi ad tur-
pes maximeque vitiosas actiones, utpote quibus *Cacodæmo-*
nem valde delectari Scripturam asserente indubium est. Atque
ita ad id, quod *positivum* erat in hoc Saulis morbo, nos
conferemus. Bonum namque Spiritum recedentem vi-
dimus, quamobrem & de malo accedente quaedam afferen-
da sunt. Dicitur autem Spiritus malus à Domino Saulem
turbasse.

§. XIII. Non alium nisi ipsum Diabolum per hunc Spiri-
tum indigitari certum equeidem esse arbitramur. Nihil
tamen secius discrepantes haec sententias sumus reperturi.
Coccejus certe & *Momma* statuunt; de Spiritu S. ac bono
sermonem hic esse. Verum quam absurdum, imò impium
sit hoc dogma unusquisque facile videbit, qui perpendet,
quod (1) Spiritui Sancto recedenti directe opponatur ma-
lus Spiritus Saulem invadens. (2) laedatur per hanc opinio-
nem reverentia Spiritui S. debita, dum, qui bonus imò ipsa
est bonitas, malus dicitur, adeoque id accipit nomen, quod
Diabolo alias proprium est. (3) effectus boni Spiritus in
Saule